

V C  
2543

h.3

E

M  
G  
PO



h.3.33.

Vc

2543

ÆTERNÆ MEMORIÆ  
PRINCIPIS SERENISSIMÆ,  
DIVÆ.  
ERDMUTH SOPHIAE,  
EX ELECTORAL. DOM. SAXON.  
MARCHIONISS. BRANDENBUR-  
GICÆ, DUCIS BORUSS. MAGDEB. STETIN.  
POMERAN. CASSUB. AC VENEDOR. IN SILES. QVOQVE  
CROSN. ET JÆGER ND. BURGGRAVIÆ NORIMB.  
PRINCIP. HALBERSTAD. MINDENS.  
AC CAMMIN.

SACER,

AUCTORITATE PUBLICA,  
IN TEMPLO ÅRCIS VVITTENBERGÆ,  
IPSIS EXEQVIARUM SOLEMNIBUS,  
X. KAL. SEPT. A. d. I. 15. LXX.

DICTUS HABITUSQVE


PANEGLYRICUS FUNEBRIS,  
a  
GEORGIO CASPARE KIRCHMAJERO,

Eloq. P.P.



SAPIENTIÆ SPLENDOR:  
PIETATIS FRUCTUS:  
SINE FINE:

LITERIS MATTHÆI HENCKELII ACAD. TYP.



164

1881 eldon. lotus

PARTRIOAE  
SERENISSIMO POTENTISSIMO QVE  
PRINCIPI AC DOMINO,  
**DN. JOHANNI GE-**  
**ORGIO SECUNDO,**  
**D. G.**

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ MONTI-  
UMQVE DUCI, S. ROM. IMP. ARCHIMARE-  
SCHALLO AC ELECTORI ,

LANDGRAVIO THURINGIÆ , MAR-  
CHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQVE LUSATIÆ, BURGRA-  
VIO MAGDEBURGENSI, COMITI MARCHÆ ET  
RAVENSBURGI, DOMINO IN  
RAVENSTEIN:

SANCTISSIMÆ PRINCIPIS

**ERDMUTH SOPHIÆ**  
**PATRI AUGUSTALI:**

PARITERQUE  
SERENISSIMO PRINCIPI AC  
DOMINO,  
**DN. CHRISTIANO**  
ERNESTO,  
MARCHIONI BRANDENBURGENSI,  
PRUSSORUM, MAGDEBURG, STETTIN,  
POMERAN. CASSUB. VENEDOR. SILES. CROSN.  
ET JÆGERNDORFENSIMUM  
DUCI,

BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,  
PRINCIPI HALBERSTAD.  
MINDENS. AC CAMMINENS.

A  
PIISSIMÆ CONJUGIS  
ELECTORAL. SAXON. FILIÆ  
BEATISSIMO EXCESSU,  
VIDUO HEROI:  
PRINCIPIBUS OPT. MAXIMIS,  
DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS,

ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS  
LUCTUM ET OBSEQVIUM,  
PERPETUO DEVOTUS,  
UTRIUSQUE PUBLICUS INTERPRES  
*Offert*

GEORGIUS CASPAR KIRCHMAIER.



I. N. 7.

Ive tanta inter animos cœlestes ( Reges Principesq; ecquis non protinus intelligat?) consensio doloris est ; sive immutabili fatorum lege , tot Augusta , spacio angusto , Capita valedicere mortali tati debuerunt ; ad æternam maximorum casuum memoriam in politiore hâc Europa , qvâ Occiduas Arctoasq; plagæ ea respicit potissimum , famigeratus annus septuagesimus in declivi seculo hoc dicimereatur . Septimus nondum elapsus mensis est , qvo Potentissimum Daniæ Monarcham , FREDERICUM III. Principem inter bonos Optimum , ingenti luætu Martius Cimbrorum populus & remotior adhuc Septentrio ademtum doluit , Saxonâ penè universa & præcipue Electorali Domo tantæ cladis sociâ & deploratrice . Tantum videlicet in sapientissimo piissimoq; ve Rege FREDERICO Augustalis Purpura amisit , quantum (uti plura non commemorem) sanctissima Confo céri , Generique ac ipsius Filiæ intelligi nomina à qvoqvam possunt . Vidisses igitur in urbe principe , solennibus Palmarum , inter Palatinos Proceres (qvorum freqvens à Comitiis provincialibus tūm aderat panegyris ) Patriæ communis PATERM , cum Electorali FILIO , aterrimis indu

A tum

tum pannis, ad doloris monumentum, sumtibus ac artificio magnificum, ad sacra parentalia instituenda ferri. Qvod altissimè inflictum vulnus tametsi duxisse cicatricem aliquatenus videri queat; dum summum primumque inter Regni ejus successores pleno jure Moderatorem CHRISTIANUM V. hora eadem, quem abstulit in Patre Regem, reddidit: ac ut nepotum numero reponeret, qvod in Avo haec tenus subtraxit, Duce novo FRIDERICO AUGUSTO, Augustam SAXONICI OCTAVIRATUS familiam beavit recens: paullo post tamen in lethalem recruduisse iactum, quo-  
tusquisque Vestrum, AUDITORES, non vel in-  
vitus profitetur, tantisque ingemiscit casibus? Ec-  
ce enim Filiam Electoralem unicā, CORONAM  
OMNIUM VIR TUTUM, absolutissimum pie-  
tate, sagacitate animi, formā, ætatis flore Decus,  
ERDMUTH-SOPHIAM, Serenissimi Principis  
ac Domini, Dn. CHRISTIANI ERNESTI,  
Marchionis Brandenburgensis, Prussorum, Mag-  
deburgensium, Stettinens. Pomeran. Cassubior.  
ac Venedorum, in Silesia quoque Crossens. ac Jä-  
gerndorffens. DUCIS, Burggravi Norimbergen-  
sis, Principis Halberstattiensis, Mindens. & Cam-  
minensis, incomparabilem, pro dolor olim! Con-  
jugem, naturæ turbato ordine (ô infelix, ô illætabi-  
le, ô insperatum penitus exemplum!) Genitor cū  
Matre Illustrissima longè afflictissimus, Nutritor  
noster Clementissimus, hoc ipso die, hoc velut ar-  
ticulo, in principali fede Baruthina, illuni inferen-  
dam cryptæ ipse met exeqialis comes condit.

Non

Non est pusillus dolor hic, qvi intra animi recessus æstuat; gravis est, & ipsa propemodùm vitalia pertentat. Solare astrum cum aut d'erepentè spissō nubiū velamento se involvit, aut interceptis à subiecta lunâ radiis in deliquium videtur expalle-re; qvantus (Deum bonum!) pavor occupat spe-ctantes? Soles fulgentissimi sunt Principes, qvi ut inusitatum in mortales cæteros lumen miscent; sic dum Majestatis suæ radios circumdant peplo, & in arctum cogunt, vitalem spiritum, qvo animare so-lent alioqvi suos, intercipiunt qvodammodò.

Mirum non est, Academiam Electoralem hanc eò abundantius lugere, qvò caussas plures iustitii funebris inter suspiria & lacrimas celebrandi habet. Habuit, sub idem ferè tempus, comicerendi rationes Britanniæ M. REX, ob defunctam celer-ritè fororem HENRICAM STUARTAM; ha-buit easdem Galliarum Regis Aula, propter Fra-tris Regii, Aurelianensis Ducis celsissimam pleno-qve flore Conjugem, intra vix decem horas valen-tem, ægram, mortuam. Habet, cur Magnum Ducē suū FERDINANDUM II. Hetruria extinctum doleat. Mandabunt annalibus vieturis annū, qvi Historias signare stylo scienter didicerunt. Qvire-rum naturalium ostenta, causarum inter summa, media, & ima, nexūs folicitâ indagine scrutantur, li-teris, opinor, credent immensum ex hieme redinte-gratâ gelu; fluminum insana augmina & exunda-tiones; terræ motuum haud unquam temerè si-mul contingentium frequentiam, ubi aut ruina præsens oculis obversabatur, aut in deforme rudus subsederunt oppida:

Qvæ omnia qvantorum casuum præsaga argumen-  
ta sint, intelligunt emunctiores faltem. Nobis  
interim exaggerare alieni mali sensum , propioris  
& domestici, ut ita dicam , magnitudo eripit ; qui  
multa& ingentia videmus ad exprimendā eminen-  
tissimæ virtutis imaginē in divâ Principe ablatam,  
proferenda. Unum præsenti instituto idemque  
(nisi animi omnino fallor ) præcipuum deest, PA-  
TRES Sapientissimi ; qvòd, cùm tot clarissima e-  
ruditionis, facundiæ, & auctoritatis inter Vos lumi-  
na deprehendatis, me dicendi infantissimum , qui-  
que ingenii sterilioris omniū certissimus sibi testis  
& interpres est, ad tristis debiti religionem, ponde-  
re suffragiorum, adegistis.

De divinis Principum virtutibus ac animis, uti  
merentur, loqui, qvando vulgaritatē spernit istius-  
modi oratio, majus oppidò censi onus artificiūq;  
potest, qvām qvòd in humeros tām nullos cadat.  
Et ut forem aliquis, monstrandus publico, non de-  
bebam tamen (qvæ mea simplicitas est) vocibus me  
vestris expugnatum anteā fateri, qvām accuratā  
mentis pensatione, quid qvantumq; in me suscep-  
pturus essem, ponderasse priùs. Quid agam verò  
consilii maturioris expers ? Sileamnēl, & hanc  
stationem, qvam concredidisti, deseram ?  
At non est fidi militis , qvem ad excubias tribu-  
nus destinavit, aut in aciei frontem locavit Impera-  
tor, abjicere vasa, despondere animum. Ad Opti-  
mum Principem, qvia, qui hoc imperavit, Pater est;  
ad Vos, quia Mecœnates estis, qui idem Vestro in-  
junxitis, cùm hanc in arenā se nullatenūs damna-  
fet, unicè configio, cunctanter atq; trepidè testi-  
fica-

ficat⁹, si de summis SAXONICIS ac BRANDENBURGICIS Culminibus ( queis ortū splendidissimum Electoralis filia hæc debet ) aut parum, aut minor adixero, ne solus pericliter spe mea, ut cōmunis vobiscum mihi culpa sit, justique oneris impositi discrimen vestrum, meum recepti habeatur. In quo tamen universo mirum me quantum vestra & benignitas & attentio eriget solabiturq;.

Aloën ex India & Arabia felici principem origine, successibus, magnitudine, ac dignam admiratione plantam qui in has Europæ oras invexerunt, hortisque addiderunt pretium, radicem ejus, granditatem scapi & ambitum, flores deinde ac virtutes, finem denique miraculi istius accurate depinxerunt. Aloën dum dico, AUDITORES, humanae vitæ ( quæ plus aloës, quam mellis habet ) non incongruum emblema sisto. Maximorum in Imperio hoc sacrofæcto Principum cœlestis planta, ERDMUTH-SOPHIA, SAXONICO-BRANDENBURGICA stirpe ( quanta, Deum immortalem, gloria hæc, quantus splendor est ! ) edita, quâ riserit amoënitate infans, quâ felicitate indies majora incrementa sumserit, quas Augustis dederit parentibus delicias, quâ pietatis decorisq; Principalis cura ad Virtutes adoleverit, quo gaudio acceperit divinum fructum axiomate Ducali Sponsus olim, MARCHIO CHRISTIANUS ERNESTUS, cogitari simul omnia, aut exponi satis, ne quidē ab intelligentissimis eloquentissimisq; possunt. Annus post mille sexcentos quartus atq; quadragesimus, Februarii dies quintus decimus in-

B signe

signe pignus , sub prima lumina orbi ostentavit .  
 Gentium nationumque vicinarum caput Dresdā,  
 qvibus plus otii est, verborū laudent prodigi. Nec  
 enim in coñendandis urbibus relicta nobis spacia  
 digrediendi sunt ; nec uni angulo nascendi jura de-  
 bent Principes. Ibi nascuntur, ubi, & qvām latè im-  
 perant. Utinam ea mihi hīc disertitudo foret, qvæ  
 non rueret persaltūs , sed omnes ad summū nume-  
 ros impleret ; exponerem non Serenissimum dun-  
 taxat Patrem, ELECTOREM Potentiss. JO-  
 HANNEM GEORGIUM II. Imperii Archi-  
 mareschallum (cujus , ut diutissimè supersit, nun-  
 qvām sine faustis acclamationibus proferri nomen  
 debet,) atque Heroinam Matrem, MAGDALE-  
 NEN- SIBYLLAM BRANDENBURGI-  
 CAM, Dominam indulgentissimā nostram; sed ad  
 Avum pariter excurrerē, Sanctissimum JOHAN-  
 NEM GEORGIUM I. alterum hujus Acade-  
 miæ, inter bellorum ancipitia, Statorē, Religionis  
 orthodoxæ vindicem, &, ut uno verbo exprimam,  
 sine exemplo bonum Principem. Aviam prætereà  
 Magnæ Matri cognominem è domo Brandenbur-  
 gicâ laudarem. Dabitur hæc nobis tamen venia, qvi  
 ea, qvæ in luce omnium versantur , piâ recordatio-  
 ne magis, qvām verborum ambitu signabimus; cer-  
 ti, nihil aut culpæ in transmissu, aut honoris, in pro-  
 lixa tot Illusterrimorum nominū recensione sta-  
 tui proptereà. Nam si aut Proavum paternum Sa-  
 xoniæ Electorē CHRISTIANUM I. aut mater-  
 num Avum, CHRISTIANUM Marchionem,  
 Brandenburgicum, Prussorum Ducem, &c. &c.  
muni-

ongi

81

munificentia, (à quā virtute nomen etiā obtinuit) & tranquilli felicitate senii (qvod in annū vitæ quantum suprà septuagesimum produxerat) cōparandum cum paucis, nulli temere postponendum. Principē, ex merito, nec simplicioratione proseqvi deberē, verendum, ne onus majus humeris impinerem. Faciam iccīrcō, qvod venire usū illis solet, qvi in operum Dædaleorum horrea admissi, cum stupenda ingenio pretioq; sui <sup>nequissimam</sup> ab omni latere exposita observant, huc illuc nunquam satianda lumina retorquent, jam hæc, jam ista, jam alia laudantes artificia.

Proaviam paternam quando cogito, admiratio-  
nis impleor à sola. Hæc ille SOPHIA fuit, cui sors  
contigit rarissima, ut eadē Electoris filia, Electoris  
foror, Electoris nurus, Electoris conjux, & duorū  
Electorum mater esset. Qvis verò ambigit, aut  
ignorat, Electorum culmen Regio æqviparari? Hi  
Imperatorum sacrosancti Mystæ, hi Regibus affi-  
nitate & cognatione necessarii, hi Cæsarum in diri-  
gendâ grandi machina Imperii Collegæ dici habe-  
riique jure possunt. Maternus Proavus invictus  
Heros, (qui à virtute bellica cognomen indeptus  
**Animosiest JOHANNES GEORGIUS**, Mar-  
chio-Brandenburgensis, Elector & Imperii Archi-  
camerarius, nulli silendus ævo, propter gestarū re-  
rum gloriā, & ingentia fortitudinis miracula vide-  
tur. Ad Abavum paternum, Optimum AUGU-  
STUM, Saxoniæ Septemvirum dum mentis aciem  
converto, ipsa se pietas ac sapientia, tanquam hoc  
potissimum cognosci possesse velit, repræsentat

animo. Et quantum addidit Abavia paterna, Daniarum Rege CHRISTIANO III. Parente nata, decus? Habeo profectò cur irascar jejunitati meæ in dicendo, qvi paupere ac exhaustâ venâ tot thesauros adæqvare, unica vel altera misellâ voce conor, Auditores. Veruntamen hoc jā prædixi vobis; atque utinam in ceteris feliciorem me experiamini. Succedite in partes igitur, dum officii præsentis titulum implere neqveo. Quis enim aut Abavum, maternum, JOACHIMUM II. ELECT. BRANDENBURGICUM, supremum belli adversus immanes Thracas moderatorem (HECTOREM GERMANICUM appellavâre, sub Monarcha CAROLO V. militantem; aut Abaviam ejusdem Lineæ, MAGDALENAM, Saxoniæ Ducem, perfundoriè ac sine laudum detrimento memoret? Nec, si vigor igneus inesset, menti, verbis aut quantacunqve etiā meditatione asseqvi valeres Atavi HENRICI Saxonis pace belloqve magnitudinem ac entheum pro castissimâ religione Numinis fervorem: PII certè nomen inde reportavit. Tu verò JOACHIME I. BRANDENBURGICE SEPTEMVIR, inter Atavos maternos GERMANORUM NESTOR, quantum præconem in Imperatore tuo CAROLO, quantum elogii ab ore ejus meruisti? *Eruditionis & facundiæ laudem Electori huic detrahi nequam posse.* O vocem aliquot triumphis dignam! Huc oculos, huc aures, delicatuli advertitote, qvibus odio, qvibus dedecori videntur literæ. Quid enim indignius, qvam pietatis, morum atqve sapientiæ

tiae professione damnari saepeius à purpura, relegari  
 que ad scholas & pullatam turbam. Te felicem,  
**JOACHIME ELOQVENS**, qvem sapientior  
 animavit impetus! cùm Serenissimi **JOHANNIS**,  
 Daniæ, Norvagiæque Regis Gener, propter filiam  
 unicam **ELISABETHAM** es̄s̄, certabant te ha-  
 bere pari loco summi populorum nationumqve alii  
 Rectores. Quid Tritavos, **ALBERTUM** Saxo-  
 nē, **IMPERII DEXTRAM** (sic ipsum nomina-  
 bant Principes, sed **ALTERUM ROLAN-**  
**DUM** miles dixit) ejusque Conjugem **ZEDE-**  
**NAM** (**SIDONIAM** vocarēt nostri) **GEORGII**  
**BOHEMORUM** Regis filiam? Quid **JOHAN-**  
**NEM**, **BRANDENBURGICUM** **AUGU-**  
**STUM**, **CICERONEM** **GERMANICUM**  
 ab eloqvendi flumine ac efficacia consalutatum,  
**MARGARITAMq;** ex **ANNA**, Cæsare **AL-**  
**BERTO** II. genitâ, nunc referam? cùm enim vi-  
 rium nostrarū non sit, decenti comentatione profe-  
 qui Camillos illos, istos Scipiones, **FRIDERI-**  
**COS** intelligo & **ALBERTOS**, Imperialis Ensis  
 Sceptriique ultimos hæredes; agemus in compen-  
 dium orationem; eo interim contenti, non unius  
 vel diei, vel ingenii opus esse, antiquitatem & Re-  
 galem Eleitoralis utriusque **SAXONICÆ**  
**BRANDENBURGICÆq;** Domūs eminentiā  
 ex merito describere. Quot à Magno **CAROLO**  
 elapsi anni sint, sub qvo **SAXONIÆ** floruerunt,  
 Duces, plena testimoniorū monumenta pasim vi-  
 deas. Plus ultrà si egrediare, suprà sex ferè secula,  
 millenarii ævi firmitate familia gaudebit **WITE-**  
**KIN-**

C

KIN-

KINDI, inde ab Arminio cùm quidem eam æstimes. Stirps verò Augustalis BRANDEB. cùm AUSTRIACORUM ARCHIDUCUM initiis ac incrementis communia multa non propter eundem saltem conditorem, Comitem Albertum Habspurgensem, sanctissimi Cæsaris RUDOLPHI I. Patrem, FRIDERICI II. Burggravii Norimbergensis Sacerum; sed copiosa alia necessitudinis, fortunarumque & axiomatum Principalium exempla numerat. Te solum testor in præsenti, Serenissime Vi-  
due, CHRISTIANE ERNESTE, Princeps, qui in Au-  
gustissima cognationis scala ista, quintum, ab In-  
victissimo Imperatore LEOPOLDO, sextum ab  
Hispaniarum Rege CAROLO, quartum à Monar-  
châ Galliarum LUDOVICO hodierno, eundē-  
que porrò à Britanniæ, Daniæ, Sveciæ, Poloniæq;  
gloriosis adhuc Regibus obtines gradū, ac ornas.  
O inenarrabilem & divinam penitus felicitatem,  
tot charum imixtumque Numinibus censi! Non  
hæc temerè contingunt bona; cœlestissima sunt,  
(ut Velleji voce utar) & arcanam rerum omnium  
gubernatricem Providentiam manifestissimis lo-  
quuntur argumentis.

Sed jam retrò legendum iter, & revertendum  
ad divam ERDMUTH SOPHIAM nostram. Emicuer-  
rant ex illa flammæ indolis & virtutum maxima-  
rum. Adamantino splendore fulgurabat pietas;  
pudoris & modestiæ Smaragdus Principale lumen  
temperabat; genarum Pyropus interfuso lacteo  
candore multis simul Veneres æqvabat. Ut autē  
suum gemma pretium consequi non satis potest,  
nisi

nisi manus artifex accedat & naturæ dotes provo-  
cet ; ad quas absolvendas vim ingentem habent,  
magisteria : sic infantiae egressa spaciū Electora-  
lis Venus, accurante Magna Genitrice, matrona-  
rum nobilissimæ ad moderandū tradebatur. Præ-  
luserant ætatulæ virtutes etiam adultiores, qvæ il-  
lustriora quæque minabantur. Quid enim nisi  
grande ac inusitatum corrivatæ in unum sanguinis  
SAXONICI ac BRANDENBURGICI origines produ-  
cant ? Pueritia Principis accuratisimorum doctri-  
narum regulis ac monitis ab egregio adolescebat  
Fonte. Pharosilli præluxerat ob religionem fidem-  
que in Deum, in Principes, & propter omnigenas  
boni Præfulis virtutes, in exemplū valituras, nun-  
quām sufficienti laude celebratus , B. JACOBUS  
WELLERUS à Mollsdorff, summus olim in Electro-  
ratu hoc Theologus. Cujus sub ephoria quām pro-  
fecerit mirificè, quām hauserit feliciter cœlestium  
oraculorum capita, legendi scribendique scienter,  
ac computandi artes expeditissimè edocta ; haud  
aliàs clarioribus indiciis approbabatur, quām quod  
majorem exceptione omni testem naœta publicè  
WELLERUM suum est, assiduè his quondam  
dedita exercitamentis. Ad calculorum rationes ad-  
discendas faberrimi operis argenteos habebat  
nummos: una facies, inclusum RUTÆ nomen ma-  
ximi JEHOVÆ; altera symbolon spectantibus  
repræsentabat, inter rosas efflorescens: *Omnia cum*  
*Deo, & cum die.* Odivinam sapientemque tessera, ran-

C2

rantemque animum requirit ! Non nisi Deo quidē  
 accuratè æstimanda pietas , qvæ nec precum for-  
 mularumque ambitu absolvitur , nec ceremoniis  
 anxiis, sed sanctâ colitur simplicitate. Ut in aliorū  
 tamen sensum etiam incurrat, & in exemplum tra-  
 hat plures, multum profectò facit, si pro normâ ipsi  
 sint imperantes. Noverat **SOPHIA** Princeps, no-  
 verat doctrinas tales , sponteque suâ exserebat .  
 Nondum jam id fecerat ætatis, quo, cùm vix istius-  
 modi assivescant , è robustiore sexu destinati unicè  
 ad literas adolescentes, undeceñis nostra hymnos  
 ad modulandi artem cogeret in rythmos ; qvo sen-  
 su , qvo desiderio supra mortalitatem assurgente,  
 rem ingenii mei vires transcendentem hîc tentave-  
 ro, si exponere laborem . Suffecerit, capitulatim  
 perstrinxisse talia , qvibus explicandis par esse ne-  
 queas. Administras virtutum reliqvas stipato fatel-  
 litio sibi conjunctas & proprias effecerat ; pietate  
 fundamento orsa ejus omnia eventibus prosperri-  
 mis secundante. Ridebant gratosi mores ; clemen-  
 tia ex oculis ac fronte emicabat : pudor illibatus  
 honestabat formam. Integritatis sic studiosa fue-  
 rat, ut incorruptum adversus simulandi artes mimi-  
 cas & adulations (Palatinis arcibus antiqua mala)  
 peccatum instructissimumque posfideret. Nec mi-  
 rum, ubi tot cardines virtutes sunt, qvibus volvitur  
 nunquam egressura recti centrum majestatis illa  
 machina. Leporin verbis, gratia in vultu, in cultu  
 syavitas. Nec tamen morosè nimis dedita expoli-  
 endo corpori ; qvodeæ solent, qvæ nitere semper,  
 & velut è capsula prodire malunt. Modum pone-  
 bat,

bat, nisi cum tempus locusque decori & magnificentiæ imponerent necessitatem. Valens interim judicio, cauta provisu, composita alloquio, facundiâ extemporali potens, actu gravis, ut decuit Minervam Principalem. Non hæc, AUDITORES, metus, non assentatio, sed virtutis amor, sed veritas, ut dicam, exprimit. Testes horum omnium appello VOS, Augustissimi Parentes, qui exsuperantis simè gavisi pariter & gratulati de Filiâ hac Pallade, hâc SOPHIA, hâc Eusebia Vobis estis olim. Et hoc illi forsitan ignorant, qui in latissima felicitatis publicæ versantur ignoratione. Nusquam tamen lætitia præsentiore provocabatur fatum, quam cū ad futuros Hymenæos animi converterentur. Dicam liberè : Serenissimus MARCHIO BRANDENBURGENSIS CHRISTIANUS ERNESTUS erat, qui & ardebat Virginem Electoralem, & ab eadem unicè æstimabatur. Sive annorum ætatisque florem aliquis desiderasset; sive domūs utriusque SAXONICÆ ac BRANDENBURGICÆ arctissima, tot Augustis thalamis constabilita jura ponderasset; seu conformia religionis sacra, sive terrarū in montanis regionibus viciniam (concordiæ & familiaritatis maximum, quod nemo temerè inficiabitur, momentum) allegasset aliis; paria universa atque singula ex æquo aderant.

Sponsum heroa virtus, sapientiæ ac eloquendi artes (ad nobile Argentoratum provoco !) decentiora illustrium animarum exercitia, decantata per Germaniam, Galliam, Italiam, Flandriam, & Belgium itinera, famæ & honoris effuso per ultimas

D

vehe-

vehebant plagas. Quem sibi costam aliam expetiis-  
fettunc ERNESTUS, nisi SAXONICAM  
ERDMUTHAM? Cui potior in upsiſſet SOPHIA,  
nisi CHRISTIANO? Hic, hic ille Princeps est, cui soli,  
Numinis ad gubernante gratia, tot glorioſi casus  
responderunt in peregrinando, ut dubitem, an in-  
tra ſecula complura alteri? Convenerant Imperii  
Sumates ad Francorum vadum, juxta Mœni ripas,  
(quam civitatem non temerè quis Electorum Cu-  
riam, & orbis librarii compendium appelle) ut Au-  
gustali ceremonia inaugurarēt LEOPOLDUM,  
cujus, poſt immortalem Deum, ſumma in Imperio  
dignitas auctoritasque eſt. A quo, ad libanda oscu-  
la exceptus, punctum laudis atque admirationis  
tulit. Progressus ad Aulas, Academias urbesque  
exteras, ut tenerior conſiceret has artes, quibus,  
ad feliciter regendum, præſtruendus erat animus,  
ALTERUM ſe GERMANICUM ULYSSEM eſſe, opere  
oſtendit. Ad Monarchas duos Potentissimos, Gal-  
liarum & Hispaniarum Reges, LUDOVICUM XIV.  
& PHILIPPUM IV. admissus, quam comiter, quam  
liberaliter dimittebatur? Aderant ſimul in in-  
ſula à Phasianis fauſtis avibus denominatâ (unde  
& ferenum pacis fluxerat in bellicofas gentes)  
MAZZARINUS JULIUS, propter gloriam geſtarum  
rerum, Orbis Cymbalum, quo nemo unquam pau-  
ciora ignorasse in regimine rerum humanarum  
creditur, & LUDOVICUS HAROJUS, qui fati Hispani-  
ci habenas temperabat maximus minister. Qvanti  
ab utroque habitus tum fuerit, munera cum ingen-  
ti ſtudio oblatate teſtabantur. Et, ne quid rarifimis  
ſpe-

spectaculis deesset, Infantis Hispanæ MARIÆ  
 THERESIÆ, Fortissimo Regū LUDOVICO  
 desponsatæ solennibus <sup>auerto m̄ns</sup> Fōterabiæ intererat,  
 ad Pyrenæos montes. Non, opinor, ad profanam  
 interpretaberis audaciā, non palpū appellabis, quæ  
 tua, HEROS ERNESTE CHRISTIANE,  
 generositas est, qvod confessio dictavit veri. Nec  
 Vos, PATRES CONSCRIPTI, sermonē hunc  
 feretis indignanter. Fatebor culpam: pietas me juf-  
 fit exerrare. Nunc ut in viam redeamus, imperat,  
 quæ cōseqvebatur domuitio. Tot videlicet itinera  
 incolumis emensus Princeps, cùm Potentissimo  
 Augusto BRANDENBURGICO, FRIDERICO GVLI-  
 ELMO, propter paterna verè beneficia (quid enim,  
 non curarum Tutor maximus tamdiu pro Eodem  
 gesfit?) grato nuncupasset animo; Contutori Pa-  
 truo, Illustrissimo Principi, GEORGIO AL-  
 BER TO, Marchioni Brandenburgensi, qvid agi-  
 taret animo, qvodque levamen tot devorata ha-  
 ëtenūs molestias mitigaturum selegisset, haud ob-  
 scurè aperit. Imensum illi Lipsiam pertranseunti  
 arrisisse Virginem ERDMUTHAM; certum  
 est. Incredibili à subditis lætitia exceptus redux, u-  
 num alterum vē mensem vix elabi passus est, qvin  
 per Oratores sponsam precibus ambiret. Dictum,  
 factum. Annuit SOPHIA; consentiunt Parentes  
 Principes. Sponsalia Decembri mense exeun-  
 te, Augusti verò Thalami ad inseqventis anni  
 undevicesimum Octobris diem, in Electorali A. 1661.  
 Dresdâ celebrantur. Qvâ, post Cæsareos ac Re-  
 gios Legatos, communitot Principum ac Ordinū

D 2

con-

congratulatione, qvâ pompa, quo splendore festi  
 illi dies acti fuerint, nullus, quantumlibet grandis,  
 eloquentiæ cothurnus exprimendo facile suffici-  
 at. Eadem Sponsis ætas, idem juventutis robur  
 qvas non suscipienda proliis spes promittebat! Sed  
 alia Numinis voluntas; quæ, ut consiliorum re-  
 cessus nulli pandit mortaliū, sic nil nisi optimum  
 ac sanctum, pro actionum meta destinat. Ac non  
 possunt dici steriles per omnia Illustriores fœmi-  
 næ, quæ vieturum posteritati, propter excellentis-  
 simas virtutes, & perenne nomen commendarunt.  
 Sapienter Epaminondas Thebanus, cùm quis illi  
 forte, quòd liberos non haberet, objecisset:  
*Ego verò duas filias relinquo,* dixit. Vox hæc generosa  
 videatur aliis; rem altius examinantibus plus vani,  
 quam veri hinc appareat. Miserè res habet, si nihil  
 ad demortuos redundet prosperi, quam quod ex  
 opinione aliorum pendet. Pietas, pietas est, quæ  
 promissionem hujus & futuri ævi aufert. Prima  
 hæc divæ nostræ filia; eminentior virtus, altera.  
 Non vivit, inquam, sterilis, non moritur improlis,  
 cuius hæ filiæ hæreditatem adeunt. Ut clarius,  
 quid mihi velim, AUDITORES venerandi, constet,  
 idem postea SOPHIAE symbolon cùm Illustrissi-  
 mo Marito, eademque fuit tessera: *Pietatem utilem*  
*ad omnia existere.* Nec intra verba stetit sensus: ibat  
 in opus, exserebat se toto animo altissimè infixæ  
 pietas. Statis versare horis codicem divinum, castè-  
 que venerari sacra, perpes illi in secreto cura fuit.  
 In publico quis ardor? quam religiosa auscultatio?  
 quam attenta cetera omnia? Non vano eqvidem  
 ostendit

ostentu, per supplicia ad aras atque congeniculationes; sed vi menti immorante vera gaudet probitas. Qvamobrem & sola sibi conscientia proteste sufficit ac judice; à qua optimi se quique metiuntur. Propter exempla tamen interest, ut prodeat foras, & in amorem sui atque imitationem trahat alios ac occupet. Invenias educatos inter Aulæ Tropicos homines, nullius, aut tamen dubiæ interdum religionis. Hostales toto pectore Princeps sanctissima detestabatur. Facturus pretium operæ videbor, si, quæ nec unius horulæ angustiis includi, nec subitaria recitatione deteri à quoquam possunt, simplici & ingenua confessione referam. Observantissimus sacrorum & literarum simul amantisimius **CHRISTIANUS ERNESTUS** Marchio est: voti reum se, ad exstruendam aliquando in Aula luculentam Ædem, prioribus jam annis fecerat. Scholam illustrem etiam ad verendi Numinis honorem felicibus erigere auspiciis, cùm tot beneficia cœlestia recogitaret, decreverat. Ut matutinū impleret vota, rogatu & ammonitu frequente adfuit **SOPHIA**. Prima mox inauguravit ornamentis templum, prima tulit signa, crucem argenteam, prægrandem, solidam, quæ Servatoris representabat passionem, non uno loco posuit. Prohibebat interim, ne laudaretur in pleno memoria religionis; verè intelligens, abscondi pietatis opera, non jactari, quod vanissimum hominum est, oportere. Amorem Dei junxerat connubiali, sic arctè semper Conjugem complexa, ut, nisi ægerrimè, ab eo non avelleretur. Absentem peregrè in-

E ter-

terdum propter curas publicæ salutis , comitata  
precibus, suspiriisque ac votis, ut rediret salvus, co-  
Itæque redderetur, secuta animo, cùm corpore,  
non posset, fuerat. Nihil adhuc de clementiâ Glo-  
riosæ , nihil de modestia & frugalitate ejus dixi.  
Pauperes & fortunis evolutos adeò benignè fovit,  
adeò inopiæ illorum intercescit, ut remoto omni  
tetrico admisfionali (detur venia Lampridiano no-  
mini) ad aures, ad ora facilis admitteret commis-  
eratione dignos. Blandimentis supplicantium spes  
non delumbabat, nec permoram frustrabatur. Ser-  
vientium culpis & erroribus tantoperè ignovit, ut  
videretur nimia benignitatis. Qvanqvàm quæ lau-  
dabilior benignitate accusatio ? Emendatisimi  
existimabat moris, sic ignoscere aliis, tanquàm ipse  
pecces sine intermissione ; & ita peccatis tamen  
abstinere, tanquàm nemini ignoscas. Cæterùm &  
sveto modestiæ temperamento, inter Palatii ob-  
sequiosi ministeria non Tanaquil, non fuit Livia.  
Nec est maiestas, timeri nimis; immanitas est. Non  
superbire per inania solebat, & qvibus careas for-  
tasse meritis, absurdè gloriari. Non procul qvæsitæ  
laboratæque magnitudines cœnarum , sed vietu  
parabili faciliores mensæ. Qvæ vel singula suffici-  
ant ad circumdandum ei exquisitissimum decus.  
In facili, ut spero, erit ad intelligendum, AUDITO-  
RES, qvàm inusitatæ laudis gloriam meruerit divi-  
na Princeps.

Negotiorum æstu maximo coqvuntur.,  
qui excelsa eminent dignitate Purpurati. Ne de-  
fetiscantur igitur, aut consumantur ante diem, neu  
illa

illa mentis hebetetur acies, interpolare laxamentis  
feria, & decentium remissionum expetere spira-  
menta jure merito possunt; cum & privati soleant.

Nostra innocentissimam deliciandi rationem  
à literis, à civilium & historicarum paginarum le-  
ctionibus quærebatur. Eò protecit certè, ut doctri-  
næ non vulgaris specimen de ætate mundi, de sacri  
Imperii Ordinibus & loco eorundem, melicaque  
ingenio excellenti carmina, ante annos aliquot, sed  
Principali nomine suppresso, ne videretur sexui vi-  
rili facere opprobrium Fœmina, ( quis exspectas-  
set?) Elektoris filia ( quis poposcisset?) ediderit, ex-  
cusa formis. Studio ædificandi ( o quām viriles cu-  
ras!) tenebatur juxtā: Structuris jam novis exci-  
tandis, jam instaurandis à ruina: jam vivariis sepi-  
endis, ad ferarum habitacula, navabat operam.  
Mater etiam familias quām accuratè noscitabat o-  
mnia? Vigil nimirum atque Argo oculatio existat,  
opus est, qui tot in Aulis ad fallendum artes, Chi-  
mæras, & cuniculos rimetur, ne aut pessum dent  
consilia salubriora, aut lucro potius domestico ad-  
vigilent, publicæ utilitatis verbosi professores.

*Pessimum id genus hominum, imò sacerrimum ac verè pestilens,  
quod expilandis miserorum loculis, insidiosa nomina, ut placeat,  
confingit, in despectum majestatis: birudines ærarii & æruscatores.*

Non circumvenire nostram larvæ istæ potuerunt.  
Non artificiosi vultūs, non simulatæ frontis spe-  
ctacula admirabatur; virtutem ipsam agendique  
dexteritatem æstimabat unicè. Videlis, Audi-  
tores, videtis in quot se commoda diffundat;  
fons ille pietatis inexhaustus. Cujus rivisi in aliis

sunt admirationi; quid non consummatum ac cœlestē dabunt, si possideantur universim, eodemque misceantur cinno?

Aloën, emblema Principis, exilem periclitatus vocem, hactenūs exhibui, sed florentem. Jam dum in ipso robore subamare scunt fructus, marcescentem & caducam (quia homo fuit) observe, quæsō. Longioris ævi raro, Principes religiosiores sunt: five citius debentur cœlo; five vis illa ignea mortalitatem veluti depascit. Ut in æstate media Sol constitutus radios ejaculatur ardentissimos, quibus & exurit plantas, & vitalem succum permit; sic, dum ætate florentissimā inoffuscato miscuit splendore Lumen hoc, præter opinionem omnium (proh fati inclemētiā!) in pallorē, in deliquium, in finem ruit. Quisq; vamné suspicaride interius latente malo, in tām modulatissimo corpore, in tām accuratā colorum omnium mistura poterat? O spes perditas mortalium! Tempore, quo aër liquidissimus vim novam corpori inspirat, qvo in Pentecostales hymnos ora omnium laxantur, acri falsoque rhevmate tentatur Princeps; horrore, mox febrili infestatur, crebris & insolitis vomitionibus fecutis. Corruptionis semina, humores noxii, ebullientes in salivam, injurii in sanguinem, in ipsa denique vitalia exitiales. Ipso Trinitatis SSæ. festo damnata ad ferale stratum: interea temporis ad templa, ad aras, ad suggestus indictæ supplicaciones pro salute ægrotantis. Cùm Medicinarum artes & remedia non superare contumaciam doloris posse, animadvertisset, Religiosissimum sacrorum

Præ-

Præsidem, fidum inter tot olim itinera Achatem  
Domini, CASPAREM à LILIIS, qvem à prima-  
riis concionibus & confessionibus privatis ha-  
buit, ut solatiis divinis piam roboraret animam, ad-  
esse jusfit. Apparebat sœpè venerandus Mysta, fer-  
mones varios & sanctos miscens. Verbis exprimi  
haud potest, qvâ fidei magnitudine, qvâ constan-  
tiâ & imota in Redemptorem suum παρποια ultimam  
excepérit necessitatem. Sacramenti gratiam anhe-  
lans, ex more Christianorum rite viaticatâ est, sic,  
ut paullò meliusculè habere videretur.

Postquam liqvidius rescitū, nullam restare amplius salutem in hominibus, invicto animo tormenta morbi superans non simplicis, cœlestiaque in ore, in peñtore, in vultu ferens, Marito Serenissimo (quem irretortis blandisque oculis, subinde apprehensa dexterâ, respexerat, Augustæ amantisissimæ que Matri deinceps (ò quanto in ultimis solatio nec non auxilio !) cæterisq; ordine Illuftrissimis ac Nobilissimis amicis qvitum aderant complorabantq;; valedixit; in JESU, quæ illi SUPREMA Vox erat, virtutæ fidei que acta feliciter ac beatissimè obſignans.

Qvid nos? quid? an concilamabimus? aut voces  
irritas mittemus, aut fatigabimus singultibus præ-  
cordia? At *exuit terrestre nomen saltem ERDMUTH.* Jam  
verè divina Princeps; ad felicissimas promota se-  
des, de quibustàm præclara pollicentur ex oracu-  
lis cœlestibus Theologi. An, qvòd nec grandina-  
tu, nec ævi matura, sed plena floris, annorum sex &  
XX, mensium IV, dierum vix quinque, tām citō  
venerit ad metā, qvam anxiè defideramus omnes;

F quòd

qvòd augustiore formâ beatarum mentium īmista  
 choris, triumphet felix, ævum agat nullis termi-  
 nandū spaciis SOPHIA, qviritabimur? An Chalda-  
 cas sequemur rationes, & fatales climaæteras gra-  
 dariosque annos, quòd vigesimum ac septimum  
 tām dirum adeò experta sit, incusabimus? Ne si-  
 mus solliciti numerorū exactores: in manu & arbi-  
 trio arcani rerum omnium statoris vita posita mor-  
 talium est. An morborum elementa vestigabi-  
 mus, consilia post eventū allaturi? Veram suffeçtu-  
 ramq; causam præmaturi obitūs enunciabo libere:  
*Pietas, & vita cœlestis ardor erat.* Tulisti hujus præmi-  
 um, SOPHIA PIA; fers nunc, & feres sine fine.  
 Relictis in mortalitate interim verendum est, ne  
 veniat super nos immensa nox, & ab ominibus fini-  
 stris, à malis passim impendentibus vorago vasta.  
 Qvod omne ne contingat, Numen optimum gra-  
 tiosumq; serio precamur supplices ac veneramur,  
 ut Serenissimos Principes hâc tantâ clade afflitis-  
 simos, VIDUUM, PARENTES, FRATREM,  
 Dominos nostros Clementissimos, ceterosque in  
 universum necessarios, Cognatos, Affines, Regi-  
 os ac Principales solatio omnipotente erigat, in se-  
 ram etiam posteritatem salvos, incolumes, felices  
 diutissimè conservet. *Floreat auctibus lætissimis & revi-*  
*rescat RUTA SEMPER AUGUSTALIS! Sacer ensis robo-*  
*re avito duret! Splendeant SCEPTRA! rejuvenescant AQVILÆ!*  
*Nunquam Domui SAXONICÆ, nunquam BRANDEN-*  
*BURGICÆ Heroës desint, qui veram Dei gloriam, Imperii*  
*securitatem, decus patriæ, salutem singulorum*  
*tueantur ac propagent.*

DIXI.

sta  
mi  
lai  
gra  
n.  
e si  
rbi  
or  
abi  
tu  
rèz  
mi  
ne.  
ne  
ini  
lta.  
gra  
ur,  
tis  
M,  
ein  
egi  
se  
ces  
evi  
obo  
Æ  
EN  
ii

1710

K 1543 PK

nc ⑩ P

ULB Halle  
004 777 735

3



WMD





tum pannis, ad doloris monumentum, sumtibus ac  
artificio magnificum, ad sacra parentalia instituen-  
da ferri. Quod duxisse cicatricem, et  
summum prius respleno jure  
V. hora eadem reddidit: ac uero  
in Avo hacten RICO AUGUSTUS  
OCTAVIRUS post tamen  
tusquisque Veneratus profitet  
ce enim Filia OMNIUM  
ERDMUTI ac Domini, I.  
Marchionis deburgensium  
ac Venedorius gerndorffensis, Principis  
minensis, inco-  
jugem, natura-  
le, o insperatu-  
Matre Illustri  
noster Clemens  
articulo, in principali sede Baruthina, illuni inferen-  
dam cryptae ipse met exeqialis comes condit.



Non